

B. n. II 356a

h. 69, 16.

*De Nouellis capung
auctoritate*

II R
264

GENEROSISSIMOS ATQVE
NOBILISSIMOS
IVRIVM CVLTORES
AD
EXERCITIA DISPVTATORIA
OCCASIONE
LEGVM SELECTARVM EX TIT. DIGEST
D. R. I. DESVMTARVM
ANNVENTE
MAGNIFICO ICTORVM ORDINE
PVBLICE INSTITVENDA
HVMANISSIME INVITAT
D. IOANN. FRIDER. OLEARIVS
PROF. PVBL.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

3.

26.

EXERCITIA DISPUTATIONUM
MAGISTRI

FRIDERICI GLEBIENSIS

EXERCITIA DISPUTATIONUM

OPPORTUNE

IN REGVM SEPTENTRIONVM ET ALIIS

REBUS

ANNO

MDCCLXXV

IN REGVM SEPTENTRIONVM

REBUS

FRIDERICI GLEBIENSIS

PROFESSORIS





Eges posteriores semper derogare prioribus, certi & indubitati iuris est. *L. f. ff. de Constit. Princ.* nec citra rationem hoc a legislatoribus ita constitutum fuit, cum non tantum in ultimis voluntatibus testatoris liberum arbitrium esse debeat; sed quoque ab ista libertate legislatores neququam excludendi sint. Quapropter totis viribus eo annitendum est, ut jura praecipue novissima nobis innotescant, quippe quae legibus antiquioribus derogare solent, praetereaque nos edocent, quid imprimis in ipsis rerum argumentis obtineat.

Iuris novissimi vero nomine Novellae Iustiniani gaudent, quae non tantum iura Digestorum & Codicis sapius confirmant; Sed quoque eadem suppleant, corrigunt atque emendant. Quamvis igitur ipsae Novellae neququam laude sua defraudandae sint, ita ut Procopio alias quoque nimio affectuum oestro percito calculum adicere nequeamus, cum frequentem legum mutationem, & inde ortam Novellarum multitudinem avaritiae Tribonianum originem debere statuatur; e diverso tamen Haloander in *praefatione ad Nov.* nescio cuius praedicti autoritate occaecatus ita pronuntiavit: *Novellae sunt pretiosissimus Thesaurus, & plurius quam omnes omnium Regum & Principum operae faciendus.* Sed Novellas nostras neququam supra omnes laudes positas esse; nemo inficias ire poterit. Ut enim silentio praetereamus, in illis multa veterem superstitionem redolentia contineri. *Conf. Nov. 123.* vel sola methodus ita comparata esse videtur, quo minus tantis encomiis ius Novellarum extolli possit. Vt cunque sit; saltem id nemini in controversiam vocare licebit, Novellas adhuc hodie quoque vi legis gaudere, si modo cum statu Reipublicae nostrae conveniant. Iis enim nullis limitibus positae plenam tribuere velle auctoritatem, salva veritate fieri non potest. Nec est, ut pluribus hoc probare fatagamus, cum unusquisque confiteri necessum habeat, nec *Novellas 24. 25. & seqv.* quae soli publico Romanorum statui applicari potuerunt; nec tres *ultimas Novellas 166. 167. & 168.* à Cujacio reliquis Justiniani Novellis adjectas vel minimam praestare posse utilitatem. *Conf. Alberic. Gentil. d. libris iur. civ. c. 6. p. 54.* Quamvis autem iura Digestorum, Codicis & Novellarum in nostro Imperio simul sint recepta. *Ord. Camer. P. 1. Tit. 57.* iung illustr. Dn. Rhetius *Comment. Feud. Proem. n. 6.* in quibus tamen ista iura non conspirant, Digestis & Codici Novellae citra dubium praeferruntur. *Kleinschm. de Princip. Iur. Tr. 4. Sect. 2. n. 65. & seqv.* Quod ita accipiendum est, ut in dubio correctio

non sit praesumenda, nisi ex praefatione Novellae, vel ex necessitate Verborum illa evincatur. Matth. Stephan. *Proem. Novell. n. 45.* Struv. *Ex. 1. th. 69.* Quod autem Novellas Leonis Imperatoris attinet, inter Dd. adhuc in utramque partem disceptatur, utrum in Imperio nostro iuris autoritate gaudeant nec ne. Plurimi Dd. inter leges apocryphas eas referunt; ita, ut ex autoritate Leonis Constantinopolitani Constitutiones eius nos non obligare possint: Quam sententiam praeterea istis rationibus corroborant, quod in corpore glossato non existant, nec etiam unquam receptae, sed longo post intervallo ab Henrico Agylaeo Buscoducense Iuris Consulto in lucem demum productae, & An. 1560. latinitate donatae fuerint. Conf. Dn. Ludovici *Compend. Novell. iur. in Proem. §. 2.* Sed haec adducta argumenta totum negotium nondum conficiunt; enimvero Leo perinde ut Iustinianus autoritatem & potestatem ferendi leges habuit. Deinde nec glossa aliquid conferre potest. Licet enim Glossae olim maxima fuerit autoritas, ita ut lege deficiente Glossam secuti fuerint. Conf. Reinking. *d. R. S. & E. l. 2. cl. 2. C. 11. n. 16.* Richter *ad Auth. Praeterea C. Unde. Vir & uxor.* hodie tamen eius opinionem nisi in foro receptam non maiorem autoritatem habere, quam alterius viri docti doctrinam, prolixius explicatum, fuit à Reinking. *c. l. n. 17.* & Gail. *L. 1. Obs. 153. n. 8.* Qui fieri igitur potest, ut Glossa iis legibus, quibus adiecta fuerit, iuris autoritatem tribuat? Sed cum extra omnem controversiam positum sit, hasce Novellas nunquam fuisse receptas, & iuris auctoritate donatas; eas vim obligandi absolutam producere, nemo asseret. Licet igitur Novellae Leoninae ἐπανωρθωτικῆ καὶ ἰερῆς sive correctoriae leges inscriptae fuerint, quibus vice plus simplici diversis Iustiniani constitutionibus derogatum fuit; neutiquam tamen autoritatem nostris moribus in causis decidendis obtinent, eleganter enim Huberus in *Praelect. ad Pandect. l. 1. t. 2.* inquit: *Post Iustinianum Leo Caesar Philosophus edidit Novellas μάλιστὰ φιλοσοφικῶς scriptas, sed quibus non utimur adversus Iustinianum.* Quapropter constitutiones istae Leonis nec olim in imperio orientali in usum deductae fuerunt, ut ex ipsis Graecis interpretibus hoc probat Cuiac. *lib. 17, Obs. 3.* Sed in illis tantummodo casibus auctoritatem obtinebant, de quibus antea in specie nihil constitutum fuerat. Quibus quasi in compendio praedictis, non possumus in eorum concedere sententiam, qui Novellas Leonis plane omni utilitate destitutas esse existimant, ita, ut ne quidem in foro applicari possent, etiamsi aliquid contineant, quod iure recepto non decisum fuit. Conf. Rittersh. in *Comment. Nov. Proem. C. 2. n. 26.* Lauterb. *Conclus. Th. Pr. Ex. 1. Conclus. 12.* Quamvis autem in praesenti non sit animus urgere, ab aliis propte-

propterea singularem auctoritatem Constitutionibus nostris tribui, quoniam istas editioni corporis iuris à se adornatae adiecit Dionysius Gothofredus; id saltem utilitatem earum satis superque commendare potest, quod saepius leges Iustinianae concisae positae & obscuritatibus involutae haud exiguam lucem exinde foenerentur. Quid impedit enim, quo minus ad commodius *l. 22. in f. C. ad lege Corn. de Falsf.* explicandam praesidium in Novellis nostris quaerere satagamus? Cum enim Lex poena capitali in Falsarios, magnitudine commissi criminis id exigente, animadvertere voluerit, in specie tamen determinatum non sit, quanta debeat esse illa criminis Falsi gravitas; Imperator Leo dubio huic expressis verbis obviam ire voluit, ita, ut tunc poena capitis Falsario imminere debeat, si ex falso commisso alii mortis poena intentari potuisset. *Nov. Leon. 77. Hoppius in Praecognit. Iur. univ. C. 9. §. 3.* Neutiquam igitur haec ex parte deteriori conditione esse debent quam libri βασιλικών, qui quidem pro legibus allegari non possunt, cum nec ab Imperatoribus subsequenter confirmati, nec per observationem fori comprobati fuerint; nequam tamen haec laus ipsis denegari potest, quod insignem utilitatem iuris Iustiniani interpretibus praestare valeant; in quo nobiscum consentit elegantissimus Vincentius Gravina. *de Ori. & Progress. Iur. Civ. §. 138. Ex libris Basilicorum, inquit, atque ex Graecorum Ictiorum superstitionibus notis & interpretationibus Cuiacius multos iuris civilis locos restituit, explicavit & illustravit.* Quo encomio nec quoque Novellae nostrae indignae esse censentur. Hinc non indistincte cum Rittershus. *c. l. in* dubium revocare debemus omnem auctoritatem harum Novellarum, quippe quae in subsidium deficientibus legibus Iustinianeis & iure statutorio, ut jam supra monitum fuit, omnino obligant. *Conf. Dn. Hopp. c. l. §. 3. Diss. Locam. Quaest. Iustin. qv. 3. Rittersh. Comm. Nov. Proem. c. 2. n. 26. Lauterb. Concl. Forens. Ex. 1. th. 12.* Ad confirmandam sententiam nostram non possumus non ad auctoritatem summi Icti Cuiacii provocare, qui de Novellis Leonis earumque auctoritate hunc in modum pronunciavit: *Novellarum Constitutionum Leonis Sophi, quae multa corrigunt ex Iustiniano iure, quod sequimur, tantum abest ut aliqua sit apud nos auctoritas, ut nec aetate eius unquam obtinuerint.* Et post pauca adducta testimonia ita pergit: *Ex tot igitur Constitutionibus Leonis eae tantum obtinuerunt, quae bis de rebus sunt, de quibus nihil est ante constitutum. Observ. l. 17. cap. 31.* Nec est, ut plurimis exemplis iis, quae dicta fuerunt, lucem accendere annitatur. Ita enim olim tempore Iustiniani non requirebatur ad validitatem matrimonii, ut accederet copula sacerdotalis, sed sufficeba-

consensus *l. 26. C. d. Nupt.* cum dotalibus Instrumentis, quæ probationis gratia intercedebant. Nec contrarium ex *Nov. 74. c. 4.* probari potest, cum accédere iubeantur coniuges ad quandam orationis domum, ita ut rem communent cum sanctissimæ illius Ecclesiæ defensore, qui tres aut quatuor Clericos adhibens attestationem conficere debebat. Sed ex toto contextu abunde patet, neutiquam argumentum inde duci posse, copulam sacerdotalem jam tempore Iustiniani innotuisse, cum per defensorem non minister Ecclesiæ intelligatur, sed potius patronus & advocatus eiusdem: accedit, Iustinianum hanc solennitatem dotalibus instrumentis compositis plane remittere: *Hæc autem obtinent, inquit, ubi non dōtis aut antenuptialis donationis sit documentum.* Conf. Selden. *Uxor. Ebr. l. 2. c. 29. p. 219. seqq.* Leo igitur imperator seculo IX. primus solennem constitutionem edidit sub rubrica: *Næ matrimonia citra iam receptam benedictionem confirmantur.* Conf. *Nov. Leon. 89.* Ubi expressis verbis professus fuit: *vetustatem permisisse, matrimonia citra iam receptam benedictionem iniri, deinceps autem iussu Sacræ benedictionis testimonio matrimonia confirmari, adeo, ut, si qui citra hanc matrimonium incunt, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa consuetudine matrimonii iure potiri velit.* Quis præterea dubitaverit, tunc quoque Novellas Leonis attendendas esse, si iuri constituto non adversentur, aut Ius constitutum Iustinianæ confirmet? Conf. *Matth. Stephan. Proëm. in Nov. Iustin. n. 49.* Cum igitur dicto iure inconsulata deletio & inductio in testamento facta non noceat. *l. 1. ff. d. His quæ in Test. delent.* hoc *Novella Leonis 82.* in favorem ultimarum voluntatum magis dilucidatum fuit, cum non velit fidem testamenti ob id solum labefactari, quod vetustate aut quo alio casu signa eorum interierint: imo si iudicis locordia testamentum denuo obsignatum non fuerit, ipse quidem poenam luere debet, neutiquam vero hoc factum testamenti auctoritati præiudicat. *Jacob Cuiac. Observ. l. 17. Cap. 32.* Eodem fundamento nititur *Decis. Elect. 44.* cum sola testamenti iudicialis ab actis repetitione voluntas mutata fuisse non præsumatur, sed potius auctoritas iudicialis testamenti, si post mortem testatoris in hæreditate ipsius sigillo iudiciali illaeso inveniatur, subsistat. Conf. *Philipp. ad d. Dec. El. obs. 3. n. 23.* *Diss. Finkelth. Ob. 12.* Intuitu prodigorum quoque in Constitutionibus Leonis provisum fuit, ipsorum testamenta eo in casu, quo posteritati vel aliis utiliter prospectum fuit, conservari debere. Sed iure Iustinianeo e diametro contrarium obtinet, cum prodigi furiosis æquiparentur, quibus bonis interdictum fuit *l. 40. ff. d. R. l.* ita ut ipsi quoque à iure condendi Testamentum exclusi sint. *l. 18. ff.*

Qui

Qui Test. fac. poss. Aemilius Gall. *d. Except. Success. P. 2. Tit. 1. Except. 5.* Cum igitur prodigo iure communi absolute testamenti factio denegata sit, multi Dd. particularem non universalem hanc Novellae in Germania receptionem esse existimant. Richter *dec. 43.* Brunnem. *Cent. 5. Dec. 23.* ita ut nequidem sustineatur prodigi Testamentum inter liberos conditum. Conf. Dn. Stryck. *Caut. Test. C. 3. §. 29.* Diff. Aemilius Gallus *c. l. n. 9.* Cum tutius esse censeant regulæ iuris civilis, quam isti exceptioni locum relinquere. Huber. *in Praelect. ad Pand. t. Qui Test. fac. poss. pos. 4.* Sed salva tantorum Dd. auctoritate nulla ratio subesse videtur, cur eiusmodi in casu prodigus ad testandum admitti non debeat; iure enim civili propterea facultas testandi ei adempta fuit, quia instar furiosi in praeiudicium necessitudinis vinculo ipsi coniunctorum testari praesumitur. Quod si vero contrarium in testamento factum sit, ita ut in eodem posteritati prudenter prospexerit; hinc optimo omnino iure rigor ille prodigum a testamenti factioe excludens emendatus fuit a Leone Imperatore in *Novell. 39.* Cum moriturus prodigus hac ratione ad sanam mentem rediisse censeatur. Cui sententiae quoque ob favorem ultimae voluntatis in ipsa praxi receptae magni nominis Icti subscribere haud erubuerunt. Carpov. *P. 3. C. 6. D. 11.* Philipp. *Vf. Praelect. Instit. l. 2. Eclog. 52.* Hilliger *ad Donell. l. 6. c. 5. Lit. O.* Licet alii Praxin cit. Nov. non extra omne dubium positam esse velint. Conf. Dn. Stryck, *c. l. §. 27.* Neminem quoque latere potest, inter Dd. admodum controversum fuisse, an testamentum in itinere a peregrinante confectum sine solennibus subsistat, & inde privilegiatum censi debeat? Quamvis autem iure nostro Iustinianeo nihil de hoc testandi genere cautum sit, unde evenit, ut iuris nostri interpretes in materia certo iure non decisa ingenio suo indulgere coeperint & diversum testium numerum statuerint; Omnibus tamen difficultatibus superfedere licebit, si claram Leonis Imperatoris sanctionem attendere velimus, qui in *Novell. 41.* de Testamento in itinere confectio ita disponit: *Nos igitur sancimus, ut in civitatibus quinque testibus stabilitum testamentum approbetur, in itineribus vero & agris aliisque inhabitatis locis trium testium confirmatio suscipiatur.* Cujus sanctionis rationes quoque accurate deductae fuerunt in eadem Novella. Quae constitutio a Leone hoc quoque in casu non negligenda est, quin potius illi, accedente communi interpretum schola standum esse videtur. Matth. Stephan. *ad Novell. proöm. n. 49.* Arthur. Duck. *d. Auct. Iur. Civ. l. 1. C. 5. §. 5. in fin.* Cuiac. *c. l. Mev. ad Ius Lubec. Part. 2. t. 1. a. 2. n. 59.* Diff. Petrus Gilken. *in Comment. ad Cod. l. fin. d. Test. n. 3.* Ludwell. *d. ult. volunt. P. 2. c. 1.* Dn. Stryck. *in Caut. Test. Cap. 14. §. 15.*

Dn.

QK
TK
264

Dn. Harprecht. in *Dissertat. d. Testam Pagan. in hostico condito.* Adhuc aliis pluribus Leonis constitutionibus id, quod intendimus, evincere liceret. Conf. Nov. 57. 93. 102 103. 104. in quibus iura vetera partim explicata, partim suppleta fuerunt, si pagellae angustiae & instituti nostri ratio id permitterent. Forsthan alio tempore in iura a Leone condita prolixius inquirendi nobis occasio suppeditabitur. In praesenti vero non possum non laudatissima septem Virorum iuvenum Nobilissimorum & Clarissimorum desideria explicare. Cum enim haectenus Titulos de V. S. & R. I. publice iuxta seriem Pandectarum interpretatus fuerim; haud abs re fore existimarunt, ut annuente Magnifico Ictorum Ordine peculiaribus dissertatiunculis typo exscribendis certas leges ex *Tit. d. R. I.* defumas illustrarent, easque me Praeside diebus pro valvis publicis intimandis defenderent. Ut vero methodum nostram haectenus in cit Tit. interpretatione adhibitam in hisce exercitiis quoque obeundis observarent; ipsis septem leges ad seriem septem partium Pandectarum revocandas eligere placuit. Et quidem eo ordine, quem fors unicuivis assignavit, dictas dissertatiunculas Viri iuvenes paulo ante nobis laudati, virtute & eruditione clarissimi tuebuntur:


- JOH. HIERONYMVS STENGER, LIPS.
- FRIDERICVS MARTINVS LVTHER.
- M. CAROL. GOTTFRIED ITTIG, LIPS.
- HIERON. GOTTLIEB HETZER, LIPS.
- GOTTFRIED WILHELM KVSTNER, LIPS.
- FRIDER. HENRICVS GRAFF, LIPS.
- AVGVSTINVS KOBER, LIPS.

Qua occasione singuli mutuas opponentium vices in se suscepturi sunt, ita tamen, ut summo honori sibi ducturi sint, si alii Viri Consultissimi & Praeclarissimi honorifica praesentia hisce exercitiis interesse, spartamque Opponentium haud gravatum obire velint. Ceterum Vos, Generosissimi ac Nobilissimi Iurium Cultores, obnixè rogatos cupiunt, velitis favore vestro ipsorum studium magis magisque excitare, & sedulo gratissimae praesentiae vestrae ipsis publice dissentibus copiam facere. Singuli vero fidem suam me interprete obstringunt, fore, ut quavis occasione hunc in ipsos collatum favorem redhostire annuntantur. P. P. Dominic. XXI. Post Festum Trinit. A. R. S. cIo 1000 VIII.

Literis IMMANVELIS TITIL.

M. 17





B.I.G.

Farbkarte #13

B. h. II, 356a

*h. 69, ib. De Nouellis capung
auctoritate*

II R
264

GENEROSISSIMOS ATQVE
NOBILISSIMOS
IVRIVM CVLTORES
AD
EXERCITIA DISPVTATORIA

OCCASIONE
LEGVM SELECTARVM EX TIT. DIGEST
D. R. I. DESVMTARVM
ANNVENTE
MAGNIFICO ICTORVM ORDINE
PVBLICE INSTITVENDA
HVMANISSIME INVITAT
D. IOANN. FRIDER. OLEARIVS
PROF. PVBL.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

3.

26.

